

1768, 3
227
18

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL
HISTORIA
AVCTORITATIS PRVDENTVM

A P V D R O M A N O S

SECTIO III.

PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS AESTIVI

M D C C L X V I I I .

PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A

HELMSTADII

E X T Y P O G R A P H E O A C A D E M I C O

V IDVAE S C H N O R R I A E .

СИМЕОН ПАПА ГРІГОРІЙ

БІБЛІОТЕКА

МУТИСІВСЬКА СТАТІЯ ОДНОВА

СОНАМОЛ СІЧА

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ ОДНОВА


СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ ОДНОВА

СІЧАНІВСЬКА СТАТІЯ



HISTORIA
AVCTORITATIS PRUDENTVM

APVD ROMANOS

SECTIO III.

HISTORIA
AVCTORITATIS DOCTRINALIS
PRVIDENTVM.

§. XXVII.

NECESSITAS AVCTORITATIS DOCTRINALIS PRUDENTVM

APVD ROMANOS.

Auctore Pomponio in L. 2 §. 5 D. de O. I. legibus
decemuiralibus latis, coepit, ut naturaliter e-
uenire solet, vt interpretatio desideraret pruden-
tium auctoritate necessariam disputationem fori,
vel ut planius legendum esse censeret BYNK in praetervm. vt
interpretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessariam-

A 2

que

que disputationem fori. Vtram harum lectionum, vel quamcunque aliam sequatur, duo euenisse deprehendimus, vnum, vt prudentum interpretatio desideraretur, alterum, vt disputatio fori esset necessaria. Leges interpretari est certo modo colligere, quid legislator per verba legis significare et praescribere voluerit. Euenit naturaliter, vt leges interpretari necesse sit, quia nec legislator omnia comprehendere potest, nec hi, quibus dantur leges, semper earum sententias intelligunt. Feruntur autem leges ciuiles iudiciorum caussa, indicare vero, definitio HOBBS. *de Ciu. c. 14, §. 13,* nihil aliud est, quam leges singulis casibus interpretando applicare. Hoc virite har, multa sunt quae interpreti perpetua esse debent, significatus verborum, ratio legis, materia de qua agitur, aliaque, quapropter monet C VI A C. ad §. 5. cit. leges indigere interpretatione, non qualicunque ramen aut quorumunque, nec vbi cunque prodita, sed interpretatione coniuncta auctoritati prudentum longo tempore quaesitae, et multis magnisque meritis; ac rursus, interpretatione in foro vexata, agitata, examinata saepius. Quae a talibus viris sit, ea est iusta legum interpretatio, talemque desiderabant leges decemviraes.

§. XXVIII.

EAM DESIDERABAT DISPUTATIO FORI NECESSARIA.

Eadem leges necessariam reddebant disputationem fori. Pressius enim erat adductius concinnatum erat corpus illud legum ciuilium, XII Tab. comprehensum, quam vt infinita caussarum varietas ex scitis quae continebat, liquido decidi potuisset; excogitanda erat ratio accommodandi leges ad facta quae in iudicium deducebantur, vel priuatum a ciuibus expedienda erant; multa quoque

que erant addenda quae legibus proprio non continebantur, eadem tamen rationem et aequitatem habebant. Strenue hic operam suam conferebant prudentes, et habebant quod agerent, sed diuersas saepe amplectebantur sententias, ideoque modus inugniendus erat conciliandi has diuersas opiniones, ut iustitia, aequitas et utilitas singularum ybique sibi constarent. Deliberationes iudicarias quas vocat CVIAC. in not. ad §. 5. cit., et consulta prudentum, quibus leges decemuirales supplebant, ad usum fori et faciliorem exitum negotiorum accommodabant, imo et ius nouum a tabulis legibusque scriptis distinctum introducebant, nomine disputationis fori significari statuo. Specialius de disputatione fori tradit HEINECC. Ant. Rom. L. I. Tit. 2, §. 35, et Hist. Iur. §. 51, ICtos dissidentes vnum in locum, et in primis iuxta Apollinis templum conuenisse, ibique rationibus subductis, communis suffragio decisionem controversiae inuenisse. Testimonia ab eo adducta, ad rem istam confirmandam idonea esse negat BACH. Hist. Iur. L. 2, c. 2, sect. 5, §. 3, et persuadere vult, ius ex rebus iudicatis, in primis Centumuirorum ortum, nomine disputationis fori appellari in Digestis. Sed hanc latius patere arbitror, et anteriores esse rebus iudicatis, in primis Centumuirorum, quia eodem pene tempore nata est, quo leges XII Tab. L. 2, §. 6 D. de O. I. iudicium autem illud ducentis circiter annis post institutum. GELL. XVI, 10. cum not. Gronou. SIB. TET. SICCAMA de Iudic. Centumuir. L. I, c. 6. sq.

§. XXVIII.

INDE NATVM IVS CIVILE COMPOSITVM
A PRUDENTIBVS.

Peperit itaque disputatio fori ius compositum a prudentibus, quod propria parte aliqua non appellatur, ut leges

A 3

leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, constitutiones, sed communi nomine appellatur ius Civile. Accepit et alias denominationes. Dicitur consensu receptum, pr. I. de acquif. per arrog. quod post magnas varietates obtinuit, L. 9. D. pro leg. L. 32. de O. et A. per manus traditum, L. 10. D. de Iur. cod. utilitatis cauſa receptum, L. 115. §. 2. de V. O. moribus institutum, pr. I. de pup. substit. ex non scripto venisse, §. 9. I. de I. N. G. et C. ius commenticum, L. 20. de poen. hoc est ex comminatione prudentum ortum, seu, ut plenius explicat BYNK. Obs. V, 16. quod non est profectum ex iure civili et feueris eius regulis, sed quod aequitatis ergo fixerunt et commenti sunt ii, qui disputationibus suis rigorem iuris plus semel temperarunt, quin et subegerunt. Iustinianus §. 3. I. de legit. agnat. succ. vocat medianam iurisprudentiam, eamque definit: quae erat quidem lege XII Tab. iunior, imperiali autem dispositione anterior. Non aliud intelligendum esse ius quam illud, quod sine scripto introduxitum est traditionibus ICtorum, primus in Italia docuit Alex. Galuanus, eiusque sententiam confirmat M. AVREL. GALVANVS de Vſufr. c. 6. et ius non scriptum vocat Cabballisticam Romanorum Iurisprudentiam. Adhuc alia appellatio occurrit apud c.c. de Inuent. II, 22, vbi simul docet, unde factum sit, ut pro iure valeret. Consuetudinis ius, inquit, esse putatar id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobavit.

§. XXX.

SPECIMINA IURIS CIVILIS PRUDENTVM.

Clariora sient quae de indole iuris civilis generatim differui, si quaedam eius specimina addidero. Lex usum auctoritatem fundi iubebat esse biennum. At, inquit c.c. pro Caecin. c. 19. utinur eodem iure in aedibus, que in

in legibus non appellantur, adeoque haec ampliatio veniebat ab auctoritate prudentum. Lex introduxerat usucaptionem rerum corporalium, at a iure ciuili sumebatur quoque rata auctoritas seruitum, et si rerum incorporalium *ib. c. 26.* cf. *EV.* OTTO *Diss. de usucap. seruit. c. 2,* §. 3. et F. C. CONRADI *Hist. usucap. §. 8.* In praediis vendendis ex XII Tab. satis erat ea praefari, quae essent lingua nuncupata, a ICtis etiam reticentiae poena est constituta. CIC. *Offic. III,* 16. Lege competebat potestas dandi tutorem, sed potestas tutoris in pupillum verbis legis non comprehendebatur, ea igitur iure ciuili data ac permissa est. L. 1. D. *de tutel.* cf. MERILLIVS *Obs. VIII,* 17. Si libertus sine liberis et intestato deceperat, lex ad successionem vocabat patronum, de tutela libertorum nihil statuebat. Per interpretationem recepta est legitima patronorum tutela, perinde ac si verbis legis introducta esset. Tit. I. *de legit. patr. tut.* Acquisitio per arrogationem non lege XII Tab. sed eo iure quod consensu receptum est, introducta est. pr. I. *de acquisi-* *per arrog.* Si eius aetatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, moribus institutum est, ut parentes eis faciant. pr. I. *de pupill. substit.* Verbis legis XII Tab. latiflma legandi potestas tributa videbatur, sed ea coangustata est auctoritate iura constituentium L. 120. D. *de V. S.* Qui sanæ mentis non erat, testamentum facere non poterat. Liberos inique exheredare tandem erat ac naturam ipsam vincere, amorem illum penitus institutum eiicere ex animo, denique patrem esse se se obliuisci. CIC. *pro Rosc. Amer. c. 19.* ICti igitur naturae rei et principiis iuris conuenienter introduxerunt, ut testamentum inofficiosum impugnaretur eo colore, quasi non sanæ mentis fuisset testator. cf. BYNK. *Obs. II,* 12. Sed haec iam sufficient specimina.

§. XXXI.

§. XXXI.

CVNABVL A IURIS CIVILIS.

Originem ac progressus iuris ciuilis per tres gradus distinguit Pomponius *de O. I.* Cunabula iuris ciuilis, §. 38, ius ciuale fundatum, §. 39, ius ciuale generatim constitutum, §. 41. Cunabula iuris parturiuit egregie cordatus homo Sext. Aelius, circa A. V. DL, ideoque post ducentos quinquaginta annos, a promulgatis XII Tab. elapsos, tamdiu enim principes ciuitatis scientiam iuris in latenti retinere studuerant. Nauavit egregiam hanc operam populo et iurisprudentiae editis Tripertitis, quae sic inscripta sunt, quoniam lege duodecim tabularum praeposita, iungebatur interpretatio, deinde subtexebatur legis actio. Interpretatio stricte dicta versabatur circa mentem et sententiam legum statuminandam, eratque pars disputationis fori, potissima enim intelligentia legum decemuirialium per usum fori definiebatur; eadem ramen per se non includebat ius illud a legibus distinctum, quod proprio nomine appellatur ius ciuale, sed ad hoc condendum deinceps extendebatur. Quando igitur Tripertita Aelii veluti cunabula iuris continuisse, et legibus interpretationem adiecissee dicuntur, significari videtur, ea intra limites interpretationis substituisse, aliis ramen ad condendum ex interpretatione ius ciuale materiam suppeditasse. Vtrum ius Aelianum, quod idem hic Aelius composuit, et populo dedit, §. 7. *de O. I.* in Tripertitis publicatum sit, non satis constat.

§. XXXII.

IUS CIVILE FVNDBATVM.

Fundati iuris ciuilis laude inclaruerunt P. Mucius Scaeuola, M. Jun. Brutus, et Manius Manilius, contemporanei post A. V. DC. florentes. Mucius decem libel-

libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres: numeri an transponendi sint, non disquiram. Vid. VAN DER MVELEN Exercitat. ad §. 39. de O. I. Doctrinae eorum vestigia adhuc extant in pandectis, ex quibus apparet, in discutiendis quaestionibus controuersis eos copiam doctrinæ et vires ingenii periclitatos esse, et nonnunquam in diuersas abiisse sententias. Partus ancillæ sitne in frumento habendus, disserebatur inter principes ciuitatis, P. Scaeouola et M. Manilio affirmantibus, ab his vero dissentiente M. Bruto, cie. de Fin. I. 4., cuius sententia et in iudicio obtinuit, L. 68. D. de Vſufr. Aetate horum Triumuirorum acciderat, ut Mancinus, Numantinis deditus, non recipetur, redux autem in senatum venire ausus, extrahi iuberetur. De hac quaestione disputauit Scaeouola: quem semel populus Rom. iussisset dedi, ciuem Rom. non manere, L. 17. D. de legation. Si quaeratur quid significare voluerit Pomponius, dicendo hos Triumuiros ius ciuale fundasse, respondet BACH Hist. Iur. L. 2, c. 2, sect. 4. §. 31. nat. fundare ius ciuale dici illum, qui disciplinam quali exstruit, atque id ita h. 1. capiendum esse. Sed vereor ne nimis eorum laudi faciear, et quod Q. Mucio deberet illis tribuat. Videntur de argumentis quibusdam specialibus ita commentati esse, ut eorum sententiae ratae haberentur, et exemplum praeiuissime applicandi leges ad facta. Hoc faciendo ius ciuale fundasse dici merentur.

§. XXXIII.

IVS CIVILE GENERATIM CONSTITUTVM.

Meritis fundatorum iuris ciuilis palmam praeripuit Q. Mucius Scaeouola, Publpii filius, pontifex maximus, hominis omnium et disciplina iuris eruditissimi, et ingenio prudentiaque acutissimi elogio maectatus. De eo scribit

B

bit



bit Pompon. §. 41. Ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem et octo redigendo. Hunc itaque primum agnosco qui disciplinam iuris constituit, disciplinam enim condit, qui veritates inter se coniungit et ordinat, hoc vero a Q. Scaeuela respectu iuris ciuilis esse factum, indicatur verbis: ius ciuile constituit generatim in libros redigendo. Lubens pronoco ad consensum r. c. CONRADI in *Orat. Auspic. de Iurispr. regulari Rom. Wittentb. 1728.* Primus, ait, rei cuius nemo antea, periculum fecit Q. Muc. Scaeuela, generatim in libros decem et octo redigendo, quae priorum libellis dispersa, nec plene tradita fuissent. Certiora fient haec omnia, si nunc porro ostendam, vniuersam iuris disciplinam, auctore Scaeuela laetissima cepisse incrementa.

§. XXXIV.

IURISPRUDENTIA REGULARIS ELVCVERATA.

Doctrina iuris ita est constituenda, vt, qui eius peritiam profiteri volunt, mente ac memoria comprehensas habeant positiones generales et directrices, ex quibus quid de vnaquaque re, de cuius iure queritur, sentendum sit, elici ac secundum eas diuidicari queat, hae enim si deficiant, quo se vertat nesciet. Eiusmodi positiones, ius quod est breuiter enarrantes, dicuntur regulae iuris, quia normae sunt ad quas, quid in quaue iuris quaestione rectum, aequum ac verum sit, exploratur. Regulas in iuris disciplinam primus introduxit Q. Scaeuela, libro singulari quem inscripsit Ἑγον, i. e. sentiarum atque definitionum, qui antiquissimus est eorum, vnde aliquid in digesta translatum. cf. ABR. WIELING. *Iurisprud. restit. P. 1. fol. 1. Ind. 1. et 2.* Fundauit hoc suo facto iurisprudentiam regularem, et manifesta utilitate instituti multorum diligentiam excitauit, vt de

CON-

conciipientis, tradendis, digerendisque regulis iuris effent solliciti. Antiquiores earum complectebantur ius, in supplementum XII Tab. a prudentibus introductum; accedebat genus alterum regularum, summam edictorum, senatusconsultorum, principalium constitutionum strictim enarrantium. Iustinianus regulas iuris tanti fecit, ut peculari titulo eas digestis subiiceret. Plura de hoc arguento desiderantibus satisfaciet F. C. CONRADI
Orat. cit.

§. XXXV.

ARS IN IURISPRUDENTIAM ILLATA.

Apud Scaeuolam multosque alios, iudice cic. in *Bruto c. 41.* iuris civilis magnus fuerat usus, ars autem in uno fuit Seruio Sulpicio, nempe ars illa, quae docebat rem distribuere in partes, latenter explicare definito, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, dein distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus positis essent, quae non essent consequentia. Didicerat illum in scholis Stoicorum, quorum philosophia cum studio iuris adeo coniungenda videbatur, ut Seruius una cum Cicerone, Caesare, Bruto aliisque Rhodum accederet, Posidonium auditurus. In patriam reuersus cum cerneret, in eloquentia se non esse posse nisi secundum, malebat in iurisprudentia esse primus, et ad studium eius se totum conuertebat. Afferebat ad illud artem illam quamens humana in cognoscendo diuidicandoque vero dirigitur, ab eaque instruetus, nouam iurisprudentiae periodum inchoabat, qua ius ciuile in artem redegit, hoc est, explicante *EV. OTTONE in vita Scruii Sulpicii c. 6.* *Q. 5. Tom. V. Thef. Iur. Rom. p. 1590,* immensam er horridam quaestionum syluam in pauca genera, haec in mem-



bra quaedam digessit: tum propriam cuiusque vim definitione declarauit, et omnia regulis tam certis inclusit, ut quaecunque noua consultatio accideret, eius tenere ius liceret, et a quo capite arcessenda esset, cuius, qui paulum moueri posset ingenio, appareret. Ope huius artis praecclare adeo de iurisprudentia promeruit Seruius, ut non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam qui fuissent, in iure princeps esset, eiusque auctoritas doctrinalis esset tanta, ut per excellentiam *iuris ciuilis auctor* dicatur apud GELL. II, 13.

§. XXXVI.

EVS CIVILE ELIMATVM PER NOTARVM
SCRIPTORES.

Quod Seruius in libris Q. Scaeulæ, quibus ius ciuile generatim constituerat, errores reprehendisse sibi visus est, ob quos castigandos notas in illos scripsit, malo tribuere arti eius, quam inuidentiae oestro et obtrectandi libidini. Notas scribere dicuntur, qui alterius scriptis opiniones suas attrahunt, adiuuandi, supplendi, extendendi, limitandi, potissimum vero redarguendi et improbandi gratia, EV. OTTO in Papin. c. 12, §. 6. Libri Scaeulæ sine dubio magna in auctoritate fuerunt, ut praecauendum videretur ne errores in illis admissi, late per iurisprudentiam serperent. Notarum Seruui mentionem faciens GELL. IV, 1, dicit: Seruum Sulpicium in reprehensis Scaeulæ capitibus scripsisse: in L. 30. D. pro Socio habetur: Seruius in notatis Mucii ait. Diu in pretio fuisse Scaeulæ libros, ex eo apparet, quod in indice 1Ctorum Digestis praefixo, Pomponius libros xxxix lectionum ad Q. Mucium scripsisse refertur, et quod a Laelio Felice circa idem tempus librum ad Q. Mu-

Mucium scriptum, citat GELL. XV, 27. imo longo post
hos interuallo, adhuc Modestinum notas ad Q. Mucium
scripsisse inuenimus. Atque hos omnes magis illustrandi
et confirmandi, quam reprehendendi gratia notas suas
scripsisse, monet EV. OTTO in vita Sulp. c. 7, §. 7, simul
tamen quatuor specimenibus ostendit, quam recte Scaeu-
lam reprehenderit Seruius. Exemplum Seruii, notas scri-
bendi, imitati sunt alii. Notauerunt ad Papinianum VI-
pianus, Martianus et Paulus, §. 6. de Concept. Dig. Por-
ro Paullus notauit ad Iauolenum, L. 60. de acq. vel a-
mitt. her. ad Labeonem, L. 5. de Instr. vel instrum. leg. ad
Iulianum, L. 75. de iudic. ad Scaeuolam, L. 26. qui et a
qu. man. Ad Masurii Sabini libros iuris ciuilis illustran-
dos LI. libros scripsit Vlpianus, vid. CVIAC. Obj. VII.

2.

§. XXXVII.

PRUDENTES NON IURIS MAGIS QVAM
IVSTITIAE CONSULTI.

Inter laudes quea Seruio Sulpicio tribuuntur, inpri-
mis attendi meretur, quod non iuris magis consultus,
quam iustitiae fuit, CIC. Pbilipp. IX, c. 5, cuius elogii
ea vis est, quod Seruius non modo iuris quod ex legi-
bus venit, sed ipsius iustitiae, a qua ius descendit, con-
sultus fuit, suaque responsa ex ipso fonte naturae de-
promxit, et vbi lex deficeret, quid aequi bonique ratio
postularet exposuit. EV. OTTO vt. Seruii, c. 6, §. 6.
Ad eum usque prudentes iuris tantum consulti fuerant,
posteaquam vero a Seruio edoeti erant, ius omne a fon-
te iustitiae naturalis esse deriuandum, non solas litigandi
vias tradere, sed iustitiae ipsius consulti esse cooperunt.
Testem huius assertionis ex lucidissimis iurisprudentiae
Romanae sideribus habeo Vlpianum, qui, vbi de studiis

B 3

et

et exhortationibus ICtorum verba facit, eorum sapientiam non intra XII Tab. constringit, sed patentiores disputationum campum aperit, in L. i. D. de I. et I. inquietus: *Institutum colimus, et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licetum ab iulicito discernentes.* Et ab hoc tempore iurisprudentia Romana ad illud fastigium euecta est, ut omne ius ciuile, praeter illud Romanorum, inconditum haberi posset ac paene ridiculum.

§. XXXVIII.

D I S S I D I A S E C T A R I A

P R U D E N T V M S V P E R A V C T O R I T A T E I V R I S C I V I L I S.

Cooperat, vt dixi, iurisprudentia regularis prudentibus esse commendatissima, propter maximum regulorum compendium, in quaestib⁹ iuris promte in iudicando et respondendo resoluendis, eaeque enuntiabant mediae iurisprudentiae ratae sententias, tacito consensu populi approbatas. Sed fuerant qui notando ad libros de iure ciuili editos, placita quaedam eius in disceptationem vocauerant, tandemque exoriebantur, qui auctoritatem eius vniuersim animosius impugnabant. Suffinebat imperante Augusto, Antifius Labeo, vir erectioris indolis, ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et caeteris operis sapientiae operam dederat, plurima innouare. Ei se opponebat Atcius Capito, perseverans in his, quae ei tradita erant a praecettore Ofilio, qui libros de iure ciuili plurimos reliquerat. Hi duo primum veluti diuersas sectas fecerunt, Proculianorum a Labone, et Sabinianorum a Capitone proficiscentium. Vid. pluribus ILL. I. F. EISENHARTI, fautoris aeternum venerandi, *Inst. Hisp. Iur. Litter. i. XXV*, ibique allag. aut. Capitulum diffensionis seclacum erat, quod Sabiniani regulis iurisprudentiae mediae, interpretatione prudenter inuenitis insisterebant, Proculiani vero frequenter ab eis discedebant. MERILL, Obs. I,

3, 66

3, et V, 34. Studia sectarum refrigerabant publicato edito perpetuo, cuius conditor, Salvius Julianus, Sabinianis addiclus, id sibi sumferat, ut opiniones Sabinianorum editi auctoritate comprobaret. Iustinianus quoque discordis sectarum placandis ita studuit, ut secundum veteres regulas et antiquas definitioes in plesisque vetustatis iuria manere vellet incorupta, F. C. CONRADI de Iurispr. regulari pag. 22.

§. XXXIX.

APICES IURIS QVAESTIONVM LIBRIS DISCVSSI.

Tam ex dissensionibus sectarum, quam ex interpretatione legum, et causis emergentibus lege non definitis, subnascebantur quæstiones subtile et difficile, quarum discussio ICtis acutissimis, Africano, Scaenolae, Papiniano, Paulo, Tertulliano, Fufidio, Callistrato, Maeciano pulcherrimam materiam suppeditare vîa est, explicandi vires ingenui et doctrinae peculiaribus libris, qui Quæstionum libri inscripti sunt, a responsorum libris distinguendi. Differentiâ quæ inter utroque intercessit, paucis declarat CVIAC. Tract. I ad Afric init. plenius vero EV. OTTO in Papin. c. 12. §. 1. cuius verba apponam. Responsa decidebant singulares facti quæstiones, ex iure constituto succinctim: quæstiones erant vberes et diffusi tractatus, in quibus pro libertu de iure controvesso in thesi disputabant. In illis ICti munere fungebantur, et potentibus consulebant: in his vero doctores agebant, suoque arbitratu apices iuris acuti et quæstiones vicinas, vulgo confusas, subili iudicio separabant flatiusque euagabantur. Indictias ab aliis sententias concedebant alii, laudato auctore, Venulius in L. 138 D. de P. O. Sed ego cum Proculo sentio. Celsus in L. 7 §. 2 de supell leg. Etsi magnopere me Tuberonis et ratio et auctoritas mouet, non tanien a Seruio dissentio. Paulus in L. 3 §. 3 de acq. vel amitt. p. p. f. Quidam putant Sabini sententiam veriorrem esse, - quibus consentio. Iauolenus in L. 33 D. de testam. tut. Ego Trebatii sententiam probo.

§. XL.

AUTORITATI PRUDENTVM CORONIS IMPOSITA.

Circa tempora Imperatoris Alexandri Seueri illustria incrementa capiebat auctoritas doctrinalis prudentum, sed huic propagata.



gandae fortuna non fauebat. Plenissime eam illustrabant tres iuris-
consultorum coryphaei, Papinianus, Paulus et Vlpianus, acuminis
subtilitate, doctrinae profunditate, scriptorum multitudine in choro
prudentum enitentes velut inter ignes luna minores. Permutas le-
ges XII Tab. non vñs adeo antiquaterat, vt plerisque iam populum
Rom. vti desisse, dicat Sext. Caecilius, in disciplina iuris atque legi-
bus populi Rom. nescendis interpretandisque scientia, vñs auctorita-
teque illustris, apud GELL. XX. 1. Successerat iurisprudentia humani-
or, semper ad facilitatem aequitatemque referens, quae a legibus et
a iure ciuii proficicebantur. Hanc iura constituendi rationem eum
amplexi essent viri prudentissimi, qui sub Imperatoribus, et in pri-
mis regnante Alexandro floruerunt, ea honoris praerogativa donati
sunt, vt fragmenta ex ipsorum scriptis compilata, in digestorum li-
bris vtramque faciant paginam. Idem vero etiam auctoritati do-
ctrinali coronidem impoauerunt, siquidem ab Alexandri Seueri im-
perio fere conticescere visa sunt prudentum oracula.

Ex ingenti numero librorum, quibus prudentes illustrauerant
iuris Romani scientiam, iussu Iustiniani compilatum est opus *Pan-
declarum*, atque ita adornatum, vt omnes disputationes et decisiones
in se haberet legitimas. Doctrinam in illis contentam curate expli-
cabo per semestre aestiuum, duabus quotidie horis, ductu *Intro-
ductionis Boehmerianaæ*. Tradam quoque ius Canonicum et Ecclesia-
sticum Protestantium, secundum III *GEORG. LVD. BOEHMERI*
*principia iuris Canonici, speciatim iuris Ecclesiastici, publici et pri-
vati quod per Germaniam obtinet*, ita conscripta, vt ad solidam et
completam cognitionem acquirendam commendatissime haberi
mereantur. Denique vt non iuris magis quam iustitiae consulti fi-
eri discant qui viam eruditionis legitimae ingrediuntur, docebo *Ius
Nat. et Gent.* ducem fecuturus *CLACHENWALLIVM*, leges et iura
naturalia ex essentia et natura hominis, vt fieri par est, derivantem.
Ad labores hos alacriter peragendos Vestram, Commilitones sua-
uissimi, mihi expeto benevolentiam. Scrib. Helmstadii

vi April. M D C C L X V I I I .




ULB Halle
005 350 883

3



WIP

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

D. CAROLI ANTONII KEVFFEL

1768, B.
227


HISTORIA

AVCTORITATIS PRVDENTVM

A P V D R O M A N O S



SECTIO III.




PRAELECTIONIBVS SEMESTRIS AESTIVI

M D C C L X V I I I .

PROLVSIONIS INSTAR

P R A E M I S S A



HELMSTADII

E X T Y P O G R A P H E O A C A D E M I C O

V IDVAE S C H N O R R I A E .

